

evigilemus justè ne inter peccatores & ignorantes Deum habendi simus d.l. I. Cor. 15. 3 s. confer. Gal. 4. 8. I. Thess. 4. 5. Joh. 7. 17. Heb. 8. II. Sicut enim veritas ac fides Dei, quam sequimur credendo, & doctrinam cognoscendam includit, & virtutem honorandam in revelante: ita in credente fides quae sequimur illius autoritatem, & notitiam includit, ex gratia revelatam, & affectum honorantem ex gratia inspiratum, quo det gloriam Deo, Rom. 4. 20.

LXXIV. Hic affectus autem, in genere quid esse potest aliud, quam inclinatio voluntatis qua inniti cupimus & acquiescere fidei Dei, nihil formidantes ea quæ injicere dubitationem aliquam poterant? quando mediante inclinatione Spiritus sanctus assensionem efficit, & assensione mediante inclinationem firmat, & utraque mediante alios porro motus & fructus profert, inclinationi & assensioni divinæ consentaneos. Vide supra num. 19. &c.

LXXV. In Specie autem respectu promissi, in fiducia de remissione peccatorum & vita æternâ, inclinatio ejusmodi voluntatis qua acquiescimus fidei Dei non formidantes legem, peccata præterita, diabolum, infernum, mundum, mortem, &c. quæ dubitationem poterant peccatoriis & infirmis injicere, nihil utique aliud esse potest quam fiducia illa quam perpetuo